BELLUM GRAMMATICALE,

& AD EXEMPLAR Libros

M^RI. ALEXANDRI HUMII,

Bibliothecæ Edinensis.

In Gratiam eorum, qui amœniores Musas venerantur, Editum.

EDINBURGI,
Excudebant Hæredes GEORGII ANDERSONI,
ANNO DOM. 1652.

Illuſtri atque Ampliſſimo Viro,
DOMINO
GEORGIO SIBBALDO,
A *Gibbilſtone*, Medicinæ D^RI
Inclyto, Patrono ſuo ſummo.

D. D. Q.
Addictiſſimus Cliens
CHRISTOPHORUS IRVINUS.

AD te Virorum clariſſime accedit ſupplex lepidiſſima hæc Tragicocomœdia ab eximiis Italiæ, Britanniæque *ingeniis polita*. Te patronum ſuſpicit; ſub tuæ umbræ ſcuto in lucem prodire gaudet,

exultat, triumphat. Nihil enim tuo nomine in terris augustius vivit, nil celebratur. Nam, cum à Diis hominibus non detur munus sanitate magis expetendum, næ tu felicissimus & humano generi maximè auspicatus censendus: quippe qui omnibus Æsculapii alumnis hanc palmam præripuisti: Tu languores omnes tollis, morborum insultûs profligas, & quicquid Apollineâ dignum est manu efficis. Testatur hoc Italia, ubi sub Clarissimis & ingentibus viris publicæ lucis tyrocinia primô posuisti. Testatur & Gallia, atque Scotia tua venerabunda agnoscit. Utq; tuum Medicorumque

omnium

omnium Præceptorem Hippocratem magis referres, imò Christianorum Dominum turpe lucrum semper despectui habebas. Quippe non modo ægros in re magis angustâ degentes laboribus tuis ac arte liberaliter sublevare soles; verum etiam iidem, quæ victui ac amictui necessaria sunt, tuis sumptibus fruuntur. Et nihil hactenus tuo patrimonio ex eorum bonis, qui Musas colunt vel sacris operantur, accessit. Non enim te iis donis Cœlitus imbutum eâ arte, ea experientia præditum, divitiis comparandis natum, existimabas: sed benefacere, de omnibus benè mereri, hoc industriæ tuæ

ſtadium, hæc artis meta. Quidni terrarum Domini agnoſcant & palam profiteantur te tuis virtutibus debita præmia non expetere, ſæpiſsimè etiam oblata non admittere? Uſq; adeo non hominum pecunias, ſed ſanitatem curas. Quare igitur inter Cœlites te non venerabimur? Qui in hac vita ſalutare numen, in altera glorioſum vives. Et quod quidem ad me attinet, omnibus modis ac mediis proſpiciam ne ingratus vixiſſe videar. Sereno igitur accipe vultu votivam hanc tabulam, in famæ veſtibulis à me tuo numini appenſam, tuæ eruditioni debitam. Gratiſsimus enim manſuetioribus

muſis,

muſis, earumque cultoribus vivis. Quod ſi feceris animos omnibus addes quantum in ſe, ut monumentis luce & ævo magis dignis, virtutem moreſque tuos, ab oblivionis injuria vindicent, & ſeris nepotibus quam inclyta relinquant. Fave, Vale.

ACTORUM

ACTORUM NOMINA.

In Castris Nominum.	*In Castris Verborum.*
POETA, Rex Nominum.	AMO, Rex Verborum.
EGO, Dux Pronominum.	ÆDEPOL, Dux Adverbiorum.
PAPÆ, Dux Interjectionum.	SODES, Legatus.
CIS, Regina Præpositionum.	UBIQUE, Parasitus.
ILLE, Parasitus Poetæ.	EDO, Verbum.
Adjectivum in neutro genere.	SUM, Fugitivum.

PARTICIPIUM, Dux insidiatus.
FORS, Nuncia.
SIMUL, Dux Interjectionum pacificus.
QUAMVIS & TAMEN Præcones.

Grammaticæ Pestes.	*Grammaticæ Judices*
SOLOECISMUS.	PRISCIANUS.
BARBARISMUS.	DONATUS.
TRAULISMUS.	DIOMEDES.
CACOTONUS.	SERVIUS.

BELLUM

BELLUM GRAMMATICALE.

PROLOGUS.

HOC agite, si vultis, Spectatores benevoli,
Quos solos adesse speramus, & cupimus: Tragico-comædiam
Vobis dabimus, nobis si aures & oculos dare est otium;
Non quæ lacrymas exprimat, sed risum moveat:
Nam belli funesti & luctuosi sim licet nuncius,
Quo florentissimam Grammaticæ provinciam miserè
Vexarunt Poëta & Amo seditiosi Principes;
Non sine lamentabili strage fortissimorum & Nominum & Verborum.
Plus tamen delectationis faciet & letitiæ;

Quàm doloris,& luctûs: quòd spectatores,non
actores eritis
In tam triſti certamine. Quòd ſi vobis ridiculi
Videbimur; quòd rem in Scenam producimus
ridiculam;
Decorum nos obſervaſſe exiſtimabitis, ut in fa-
bulis decet,
Materiam qui ſumpſerimus noſtris convenientem
viribus.
Date operam, adeſte æquo animo per ſilentium,
Ut pernoſcatis belli tam atrocis principium, &
exitum.

ACTUS I. SCENA I.

ILLE PARASITUS.

O Populares! ecquis me vivit hodiè fortuna-
tior?
Nemo herculè quiſquam: nam in me planè dii,
penario
Qui præſunt, poteſtatem omnem oſtenderunt ſuã;
In cujus ventrem tot ſubito confluxerunt bellaria.
Nunc eſt profectò, cum interfici me poſſum per-
peti,
Ne felicitatem adimat fames jejunio aliquo.
O ineptos,& ridiculos Philoſophos! de ſummo
bono Qui

Qui differunt in ſcholis, & interim quod potitent
Aut quod edant, non habent. Mihi verò iſta eſt ſententia,
Ego ſummum bonum eſſe judico alienum cibum arrodere,
Et in aliena menſa delicatè vivere.
Hoc ſi quis Philoſophus fortè non credat, is eſuriat domi;
Aut ſi magis placet in Scholis philoſophetur famelicus.
O quam ſuaviter obdormiſcit nunc mihi ſtomachus!
Qui modo præ fame ut infernalis latrabat Cerberus.
Quàm pulchrè ſedata eſt illa civilis diſcordia!
In ventre quam fovebant inteſtina modo.
Pol niſi maturè, & opportunè Bacchus & Ceres,
Quæ ego ſola adoro numina, munera ſua
In auxilium mihi miſiſſent, bellum ut componerent,
Actumeſſet penitus de hac mea republica.
Sed interim miramini forſan qui ſim: id paucis eloquar.
Ego ILLE vocor, de gente oriundus Pronominum:
Non ſum ILLE Buridoni aſinus, qui cum eſſet in medio

Inter duo constitutus alimentorum genera, æquè
Palato convenientia suo, fame periisse dicitur:
Quòd cum utrumque æquè appeteret, neutrum expeteret.
Neque ILLE stultus sum Diogenes, qui vacuum maluit,
Quàm vino repletum inhabitare dolium.
Nec Ille ego qui quondam macilentus & gracilis.
Ille ego sum obesus, pinguis, tumidus;
Ille ego sum servus Poëtæ, Coquinæ dominus,
Ille ego sum gurges, vorago, helluo, barathrum,
Ac ne plura dicam, centrum omnium,
Quæ sunt uspiam cibariorum gravium, quæ deorsum petunt.
Ad me omnes lineas ductas á circumferentia
Omnium mensarum, cupio esse æquales. Ego sum judex,
Quem constituit Rex Poëta in coquinæ consistorio;
Ubi ego (quæ est mea in meo regno gloria,
Et majestas) sedeo magnificè inter splendidas,
Et fulgentes ollas, lebetes, patinas, verna; &, mea
Quæ est authoritas, gallinas, anseres, porcos, oves,
Boves, vitulos, totum terrestrium, volatilium, aquatilium gregem,
Capitis condemno; Inceperint fortè si nimis pinguescere: (Nam

(Nam oſtraciſmum noſtræ non fert ſtatus rei-
publicæ.)
Hos igni torrendos, aſſandos illos aquâ,
Omnes morti adjudico. Sed quia pietas non
patitur,
Quiſquam eorum ut unquam inhumatus cor-
vis, aut beluis
Projiciatur dilaniandus, Hunc meum ventrem
feci cœmiterium:
Ubi omnia ſepeliatis hujuſmodi cadavera, bona
cum venia.
Quid ego vobis referam? quantus grex aqua-
tilium
Eſt ſepultus hodiè in hoc meo cœmiterio.
Sed quid ago? non eſt hoc ſapientis de præſen-
tibus
Lætari impenſiùs bonis, negligere quæ impen-
deant mala:
Nam mens mea, & mihi, & ventri meo, neſ-
cio quid
Præſagit mali. Illa, illa infelix contentio,
Quæ de principatu orta eſt in convivio hodiè,
Inter Amo Verborum principem, & Poëtam
Regem meum,
Finem dabit conviviis omnibus; pingue con-
ceſſum eſt otium

Faucibus, dentibus, palato, gutturi, ſtomacho, viſceribus.
Sed quis exit foras? ſatis lento procedet gradu.

ACTUS I. SCENA II.

ADJECTIVUM, ILLE.

AD. QUid hoc? ſiccine ſit pedes? ſtatim? annon? An id
Vultis, ut me jacentem hîc tollat aliquis?
Nam herclè ſi cecidero, veſtrum erit flagitium.
Vix ſatis adhuc ſuum faciunt officium.
ILLE. Eſt hic vir humanus admodum, ut officioſè genua
Flectit, me ut ſalutet; & tu ſalve plurimum.
AD. Sed non mirum eſt, me non poſſe certo pede
Humum ſignare: ut qui nunc primum incipio greſſus facere.
ILLE. Monſtri ſimile! Adjectivum eſt, oculi ſi non parum
Proſpiciant mei; ſic eſt: quid hoc novi? Equites novi plurimos ex Adjectivorum familia.
Peditem nunc primum video. Hoc quid ſit ſatis mirari nequeo;

Cujus

Cujus pater, avus, proavus, abavus, atavus, tritavus,
Majores omnes humi repſerunt, vermes ut ſolent:
Eum ut ego videam, Subſtantivorum more, incedentem pedibus?
AD. Tandem ſum aliquando Adjectivum in neutro genere
Abſolutè, hoc eſt, abſque Subſtantivo poſitum.
ILLE. Aliquando genitivum poſtulat, ut: paululum pecuniæ
Hoc noctis: Non videmus manticæ quod in tergo eſt: (câ,
Quantum quiſque ſua nummorum ſervat in ar-
Tantum habet & fidei.
AD. Mei juris homo ſum, excuſſi ſervitutis jugum,
Quo me graviter oppreſſit Subſtantivorum ſuperbia,
Quamdiu me illis regendum præbui.
Nunc non hujus æſtimo Subſtantiva omnia.
ILLE. Magnifica verò vox, & Adjectivo digniſſima
In neutro genere poſito. AD. Ego alieno nuper eram
Subjectus imperio, & alienâ indigebam ope:

Nunc

Nunc ego mihi, meo jure, poſtulo Genitivum Caſum;
Ut mihi ſit, ſicut ego olim fui Subſtantivis, morigerus.
ILLE. Næ ille felicem ſeviet ſervitutem, tibi qui inſerviet Domino.
AD. Quin imò mihi facta eſt copia ſuſtentandi alia
Adjectiva, conſanguinea mea: ut ejuſdem ſint numeri,
Caſus, & generis, cujus egomet ſum, & eſſe cupio.
Sed genua mea ſuccidunt præ laſſitudine;
Quieſcam hic parumper; deinde revertar domũ.
ILLE. Adibo hominem; ſed ſimulabo quaſi nunc exeam;
Nimirum hic dabit mihi permultos jocos.
Adjectivum ſalvare jubeo. AD. Satis pro imperio quiſquis es:
Nolo ego hanc tuam imperioſam ſalutem. IL. Peto
Igitur humillimè, ut ſalvere velis. AD. Satis ego ſum ſalvus,
Tua licèt ſalute caream. IL. At accipe tamen
Salutem ab amico. AD. Quis tu homo es?
ILLE. Ego pronomen Ille ſummus amicus, & familiaris tuus. Miror

Miror equidem te Subſtantivo deſtitutum tuo,
Hic ſedere ſolum. AD. Dignus es odio.
Quid ego cum ſubſtantivo agam? IL. Ut te regat,
Manu ducat, quovis deducat unde velis.
AD. Mihi Subſtantivo, qui regat, non eſt opus;
Mei pedes me ducent quo volo. IL. Quis faber
lignarius
Corpori tuo aptavit tibias? AD. Quid ais
omnium?
Ligneas me habere tibias? IL. Ut qui carneas
Habere non poſſis, niſi fortè prædudum in tibias
Exierunt nates. AD. Diminuam tibi caput ni
taceas (doneus;
IL. Bona verba quæſo. AD. Itane videor tibi i-
Ut in me tam apertè illudas miſer.
ILLE. Eia adjectivum: leviter qui ſæviunt, ſa-
piunt magis,
Iniquè facis ſi in eam partem verba interpreta-
ris mea.
Ego in eam locutus ſum ſententiam, ut potius
de tua
Gratularer felicitate, quàm ut haberem te lu-
dibrio.
AD. Tu ſi ex animo & verè dicis, facis quod
te decet.
Redibo tecum libenter in gratiam.

IL. Sed

ILLE. Sed dic amabo, quis te hoc tanto ornavit beneficio?

AD. Da te mihi ergo pauliſper. Noſti nutricem meam,
Quam ego ſemper habui ducem, & comitem, pro ſumma
Sua, qua eſt me complexa ſemper benevolentia;
Abſolutè in neutro genere poſitum deſeruit modo
Ut nutrices ſolent infantulos ubi ablactant ſuos.
Ego ſtatim (quæ mea eſt audacia) prodeo ſolus in publicum.

ILLE. Factum eſt adæpol ſtrenuè, animoſè. fortiter,
Virum ut fortem decet: trecentorum dierum infantulus
Vix auderet tantum facinus aggredi, tamque egregium.

AD. Abi quo dignus es, ſcelus: mene patrem
Numeroſæ prolis infantulum per riſum vocas?

ILLE. Vocavi; ſed grandem, trecentorum dierum, quod
Nomini detraxi honoris, numero ætatis addidi.

AD. Dignus tibi videor, qui pro annis dies numeres?

ILLE. Digniſſimus; ut qui vix adhuc poſſis humum

humum certo signare pede.
AD. At certis signabo pugnis scelestum caput tibi,
Linguam ni comprimas. IL. Ne sævi tantoperè:
Si tibi cordi est pugnare, erit brevi, ubi
Tu, & pugnos, & hosce novos pedes exerceas tuos.
AD. Decet fortem pugnis pugnare; pedibus,
Puerorum est. Hoc ne puerorum quidem est.
ILL. Atquì sapientes quicunque sapiunt meâ sententiâ,
Cùm maximè pugnant tum maximè fugiunt.
AD. Ergo tu ex leporum genere, qui cum canibus
Venaticis, pedibus magis certant quam viribus.
ILLE. Malè narras herclè: nec ego pedibus
Nec viribus unquam confidam meis:
Si in linguæ aut dentium pugnâ, virium
Mearum facere velis periculum, virum me dabo.
AD. Credo equidem; sed tu quam mihi pugnam narrasti modò?
ILLE. Non nosti, quod Regibus hodiè acciderit in convivio? (fumos.
AD. Audivi eos ingentes verborum emisisse
ILLE. At in flammas hi fumi vereor ne erumpant; verba in verbera.

AD. Beasti me hoc verbo: hunc, generosi animi,
Jamdudum expeteverunt diem, qui pace & otio
Jam pugnas dedidicerunt & prælia.
Si me amas Ille, hortare, move Regem tuum;
Effice ea, quâ polles, sapientiâ, & eloquentiâ, arma ut capiat,
Et hanc ne inultam sinat injuriam: Ego in ejus auxilium
Tres equitum turmas meis alam sumptibus.
ILLE. Fortiter sanè: sed quis equos sufficiet?
AD. Tantum ille dabit, ego de meo alam: promitte audacter meis verbis.
Sed interim eo domum, ut conscribam exercitũ.
ILLE. Dulce bellum inexpertis: qui vel muscas metuat,
Quam est ante pugnam hic animosus & ferox.
Trepidabit hic Leo ad Galli cantum, in aciem
Ubi venerit. Sed quid otiosus garrio?
Tempus est ut Regem invisam, quid agat,
Et quid consilii captet. Sed ipse exit foras.

ACTUS I. SCENA III.

ILLE, POETA.

ILLE. OPportunè mihi te offers Rex invictissime.
Quid tristis es? quis animum tuum exagitat dolor?
POE. Nihil

POE. Nihil mihi unquam, quod scio, in vitâ contigit,
Quod meum ita vulneravit,& vexavit animum;
Quam illa convitia quæ in hodiernis epulis
Amo mihi objecit arrogans,superbus,insolens:
Quæ ipsa per se, etsi odiosa fuerunt satis,
Odiosiora tamen antiqua consuetudo facit.
IL. Ridiculum est hoc quidem, hominem tui loci
Ægrè ferre,quod in manu est corrigere.
POE. Corrigere inquis? id ego non video.
IL. Si facis, ut homines dignum te tuo imperio deputent.
PO. Ut deputent? hoc quid sit non satis intelligo.
Proin loquere si quid habes consilii.
IL. Loquar,quoniam ita vis;tu adverte animum.
Te dignum tuo imperio ostenderis,
Si id quod te decet facis,invictum retines animũ:
Invicti verò animi, meo quidem judicio
Nullum majus est argumentum,quàm si injurias
Per superbiam illatas, animosè vindices:
Neque enim par est,ut qui virtute clarior,
Stirpe nobilior, armis potentior,
Rebus gestis illustrior, dignitate superior,
Animi magnitudine inferi or videares; neque addecet,

Ut

Ut cum natura tibi robustum corpus dederit,
Mentem ignavam, demissam, & humilem geras.
Quocirca meum est consilium, si vel saluti tuæ,
Vel dignitati, velis consulere:
Ut hanc tantam, tamque atrocem injuriam,
Nolis inultam ferre. PO. Scio equidem, ILLE,
Meam esse ampliorem Provinciam,
Milite superiorem, dignitate parem:
Sed audi'n? consilio omnia experire prius
Quam armis sapientem decet.
IL. Bene habet: an non id simul in memoriam venit,
Quod idem ille ibidem loquitur?
Hanccine ego ut contumeliam tam insignem, in me accipiam?
Mori me satius est. sentiet qui vir fiem.
PO. Equidem hâc nocte somnum oculis non vidi meis,
Dum video, quâ ratione ulciscar hanc infamiam.
Ad bellum nobis omnia instructa satis intelligo:
Exercitum quantum Xerxis fuisse perhibent;
In quo numerati sunt septem septuaginta militum Myriades.
Sed cladem ab armis civilibus toti Provinciæ metuo.
IL. Cur sit Provincia tibi, quam illi charior?

Tu

Tu ut cures cum ille negligit?
Si pereundum est solus perire non potes;
Qui injuriam tibi facit, peribit simul.
Hoc adfert, bellum id, commodi:
Si viceris, soli tibi vinces:
Si perdes, peribit simul hostis tuus.
Quanquam non video cur de victoriâ dubites:
Nostri sunt quoscunque orbis habet milites:
Magni illi Heroes, *Ajax*, *Diomedes*, *Hercules*, *Achilles*, *Agamemnon*, *Protesilaus*, *Idomeneus*, *Menelaus*, *Palamedes*, *Ulisses*, *Telamon*, *Hector*, *Sarpedon*, *Memnon*, *Troilus*, *AEneas*, *Menetes*, *Jason*, *Priamus*, *Nestor*, *Briareus* vastusque *Centimanus* Nostri sunt: si omnes numerare copias Vellem tuas, dies me priusquam oratio deficeret. Nihil deest tibi, præter animum tanti boni Capacem. Non potes cessare Hercule sine dedecore;
Pugnare autem sine periculo potes.
PO. Profectò quantò magis magisque cogito,
Et solus illius contumelias mecum reputo;
Indignus videor majoribus meis,
Indignus fortissimorum militum tantis copiis:
Si tam turpes injurias æquo possum ferre animo.
Præterea ingratum fore nostris apud Elysios Jampridem

Jampridem mortuis, si à verbo feram
Tantum convitii, qui sine me & meis
Nec facere, nec dicere quidquam potest.
Quapropter de tuo, ILLE, mox consilio,
Bello, hanc ab illo persequar injuriam.
Itane contemnit facitque nihili
Poetam, Amo? Verbis ita incessit suis?
Vir sentiet qui sum, duras dabit mihi.
Nescit miser quid sit, rabiem Poeticam
Stultitiâ incitare fervidâ.
O si mihi nunc detur obviam!
Animum primùm extinguerem;
Deinde miseris lacerarem modis:
Sublimem in medium arriperem,
Et caput in terram statuerem;
Ut cerebro dispergat viam.
Hinc eriperem oculos, post præcipitem darem.
Socios autem ruerem, agerem, tunderem, & prosternerem.
Pugnabunt jaculis dum Thraces, Jaziges arcu;
Dum tepidus Ganges, frigidus Ister erit.
Robora dum montes, dum pabula mollia campi;
Dum Tyberis liquidas Tuscus habebit aquas.
Bella geram in verbum, nec mors mihi finiet iras,
Sæva

Sæva sed in manes, manibus arma dabo.
Tunc quoque cum fuero vacuas dilapsiis in auras,
Umbrâ umbræ exanimi prælia sæva dabo.
ILLE. Flammas Poeta ubi est furore correp-
evomit,
Animosè me herculè & te digna oratio;
Jam tandem intelligo te Majorum tuorum ani-
mum
Retinere, quorum in vultu imaginem refers;
Jam tandem rerum florentissimarum video
Initium, cum redacto duarum gentium
In unum imperio, solus regnare poteris:
Atque hanc expeditionem scio universis Nomi-
nibus
Gratam fore, atque gloriosam tibi,
PO. De voluntate sanè meorum nominum
Non magis quam de mea dubito,
Nam & hoc quorundam in re ipsa consilium fuit,
Et alios, scio, hoc ipsum expectare sedulo.
ILLE. Prudenter herculè ut soles omnia,
Neque abs re erit, meo quidem judicio,
Si Participiorum in te tentes animum;
Sunt (ut scis) summarum virium,
Et in quamcunque partem inclinent, momen-
tum trahunt

Non parvum : Casus, & Genera tibi debent,
Sed à Verbo oriunda, à Verbo trahunt
Regnandi potestatem omnem, quam habent;
Si non potes in partes tuas flectere,
Si ut illum non sequantur efficeris, erit satis.
PO. Bene herclè suades : nam de Participio,
Quamvis credo esse nostrarum partium,
Nostrique amantissimum, ob summa Nominum
In eum merita ; tamen tibi literas
Ad illum dabo, quibus monebo officii sui.
Præpositiones, etiam & Interjectiones meo nomine
Adibis, & hoc nostrum expones consilium.
IL. Factum puta ex animi tui sententia ;
Nam quod possum, pro meo officio, tibi debeo.
PO. Facies ergo ut salutes omnes verbis meis
Comiter, & strenuè rem nostram agas.
Præpositiones mone maximè ne officio
Desint suo, & Casibus nostris inseruiant sedulo
Cum Interjectionibus etiam age quod in te est :
Nam quamvis illi per se possunt parum
Tamen Hortationibus, & Inclamationibus,
Ad rei summam non parum conferent.
IL. Tu interim quod cœpisti, perfice gnaviter;
Nam si quidquam remittes, illudet, ubi te victum senserit.

ACTUS

ACTUS II. SCENA I.

AMO, UBIQUE.

AN unquam quiſquam cuiquam contumelioſius
Audivit factam injuriam, quam hæc eſt mihi?
At O Dii immortales! quam eſt dificile
Homini incauto, impuro, atque improbo
Temperare ſibi; ne vitioſam mentem arguat?
Quid mihi author es UBIQUE, ut faciam?
Nam ſcio prudentis eſſe, & magni animi,
Hominem impotentem potiùs contemnere,
Quam rixas & lites cum eo ſuſcipere.
Et tamen cum rei indignitatem mecum altius
Ut ſoleo cogito: Dii boni! vix eſt credibile,
Quàm ægrè feram contumelias.
Hæret animus, nec quid agam poſſum ſtatuere;
Animus aliquando inclinat, ut hominem nihili,
Nihil faciam: Aliquando turpè æſtimo
Tam inſignes inultas ferre contumelias.
UBI. Fortitudo ſanè quidam, ut olìm dixit Philoſophus,
Non ſolum in contemptu rerum humanarum cernitur:
Sed in ſubeundis etiam fortitrèr, & ferendis periculis.

Itaque laudo generosum tuum animum,
Qui nugigerulum homuncionem nauci facias.
Sed tu ut fortis sis utroque modo verè,
Ad magditudinem hanc animi, periculorum addere
Contemptum oportet. Si huic malo obviam is,
Et insanum Poetam, intelligere facis
Quantum, & quam fortem hominem
Offenderit, ipsum Herculem viceris laudibus.
AMO. Etsi odiosum mihi semper est odium,
Et amori nihil quidquam magis contrarium.
Ita tamen insulsus homo ille commovit animum,
Ut pro amore irâ flagrem, spirem odium;
Ita insania sua commovit furias,
Alecto, Megeram, Erynnim, Tesiphonem,
Ut mite mihi extinxerit ingenium.
UBI. Rectè oderit quisquis hostem oderit;
Tam laude dignum infestum odisse hominem,
Quam amore prosequi amantissimos,
Ne quid vereare, dignus est ille odio tuo.
AMO. Quid? tu illum me tantùm odisse autumas?
Imò utramque Verborum, & Nominum
Odi gentem, patrem odi qui me genuit,
Matrem quæ me peperit, amicos omnes odi meos.

Te Ubique odi, meque ipsum odi, & tamdiu odero
Donec odiosi illius odiosum ulciscar odium.
UBI. Hui, adeone quenquam ex amore in odiũ
Commutari, Ut non cognoscas eundem esse? Dii boni?
Quid hoc morbi est? quis hic est furor? here.
AMO. Desine
Compellere, aut. UBI. Aut: quid hoc verbi est? Minatur credo,
Hei metuo ne non sit compos sui, here.
AMO. Quis me interpellat? adeone videor tibi idoneus,
In quem tam aperte illudas miser. UBI. At auscultа obsecro.
AMO. Non tu hinc abis? UB. Saltem paucis. AMO. Malum
Male queris, hem tibi; ubi machera, ubi gladius,
Quo hunc mactem? UB. Miseret me tui.
AMO. Egone garrulum, ineptum, impium,
Quem Plato jure è republica expulit sua,
In scelere triumphare inultum sinam?
Non, non sinam, non feram, amorem sentiet
Odisse posse etiam. Quid? illene putat
Omnes me amore, odio posse prosequi neminem?
UB. Sed modum quæso odio statue:

AMO. Amoris modus eſt, odii nullus modus.
UB. Illum ut lubet, ſed nos quæſo ne ſimul
oderis,
Quibus oportet uti, ut hoc ulciſcaris odium;
Ad te redi, & conſcribe exercitus,
Ut odium omne in hoſtem evomes.
AM. Ita mè Dii ament ubi ſum neſcio,
Ita bile fervet, ita tumet jecur.
UB. Quanta ira credibile eſt Poetam
Exardeſcere, cum tanto AMO ardeat odio?
Here, ab iambis ejus cave,
Ne te aliquando ut Lycamben Archilochus,
Redigat ad ſuſpendium. AM. Egone maledici,
Temulenti, nugatoris iambos? flocci faciam.
Equidem furorem illi cerebro excutiam,
Et tam placidum vobis reddam quam eſt ovis.
Illinc ut provinciæ aliquam partem
Capeſcat, qui furore ſemper inſanit iambico?
UB. Nunc ad rem redis, convoca omnes tuos,
Non verbis hæc res eſt agenda, ſed viribus.
Arma, arma, continuo fugiet arma ubique
viderit:
Verbis ſi contendis Poëta erit ſuperior.
AMO. Ibis ergo Ubique ad omnes neceſſarios
meos,
Salutem primum ut dicas verbis meis,
Conſilium

Consilium deinde, atque auxilium expetas.
UB. Tantum volo auxilium, Pol consilii
Satis est in hoc meo capitolio
Ego hinc abibo: numquid aliud imperas?
AM. Astu, præ cæteris, ut tractes Participium,
Est callidus ille, & versipellis homo,
Audax, potens, superbus, insolens, avidus, magnificus;
Fac memorem, quid nobis debeat;
Mone sedulo officii sui, ut unde sit oriundus, meminerit.
UB. Ego istuc curabo, fac ut cures reliqua.

ACTUS II. SCENA II.

PARTICIPIUM.

PAR. QUamvis quisim vestitus satis prodit
Id paucis eloquar. PARTICIPIUM vocor,
Furem dixeritis, quidni sim si in rem sit meam.
Furto, ut nunc sunt tempora, optimè vivitur.
Sed tu, quisquis es, ut sis sciens, minus furtificus
Nunc sum, quam olim. O'' clàm, nunc palam rapio:
Colores, quos vides, olim clam surripui,
Nunc utor palam: Arte si quid rapio;

Prudentiæ

Prudentiæ est, si palam, magnanimi.
Tales fuerunt summi, quicunque genus infimum,
Homines virtute superarunt sua,
Ulysses, *Diomedes*, & *Jovis* filius *Hercules*:
Ita *Titanem* patrem regno exuit suo
Ipse Deorum pater & Hominum *Jupiter*.
Ita *Palladi*, & *Junoni*, formæ laudem, *Venus*
Surripuit: Hanc nil juvit prudentia,
Illam nil juverunt opes suæ.
Quid? quid sumus *Papa*? Pontifex est PARTICIPIUM:
Cum nec Deus est nec Homo,
Et Deus & homo, quos vult ad tartarum trudit:
Et rursus emittit: paululum pecuniæ
Vendit CHRISTUM, cruces, & altaria,
Et Cœlum etiam, si emptorem invenerit.

ACTUS II. SCENA II.
ILLE, PARTICIPIUM.

ILLE. EGo Pronomen ILLE Participio regis tui
Summo, salutem dico summam, verbis Regis mei.
PAR. Ain tu? lætus est Rex Nominum.
ILLE. Lætus sanè quòd te amicum habet,
Quod boni forè & mali speret participem.

Boni

PAR. Boni ſi libet, nolim ſanè mali:
Sed quid fers novi? fac me ut ſciam.
ILL. Belli ſum infeliſſimus nuntius.
PAR. Belli, cedo quod? ILL. Ubi imperatur, apparatur: lanx, phalanx;
Ubi ſignum pugnæ dant tibiæ, Tibicines;
Ubi prælii locus, focus; oſſa, foſſa; lances, lanciæ;
Criſtæ, ciſtæ; acies, facies; bella, labella;
ſpicula, pocula;
Vagina, lagena; ſpolia, dolia; ſcutum, ſcortum;
Prælia, prandia; ſtratagemata, tragemata;
Jam mihi deficit ſpiritus.
PAR. O quam lepidum & facetum deſcribit prælium!
Animus tuus eſt in patinis, cum Rez tuus eſt in prælio.
ILLE. Quidni ſit? infamiâ perire malim, quam fame.
Cape has tabellas à Rege meo. PAR. Sine legam.
ILLE. Salutat officioſè ſatis, etiam blanditur homini,
Breviter narrat & dilucide, minatur etiam graviter:
Salva res eſt: vel lapidi perſuaderet.
O quam prudentem habeo Regem! etiam metuit nos hic nebulo.

PAR. Proh

PAR. Proh Deûm atque hominum fidem! quæ istæc est amentia?
Quæ res? quæ (malum) illos furiæ atque intemperiæ agitant?
Adeone homines esse percitos furore; ut nullam habeant
Vel communis utilitatis rationem, vel salutis suæ:
ILLE. Nihil agis; eo processit res, ut frustra revoces:
Fac Participium memor sis officii tui.
Scis quod Regi meo debeas
Declinationem, & casus utriusque numeri;
Cum à verbo originem trahis, in fidem suam
Ille te recepit: beneficium quod habuit
Maximum, persolvit tibi.
Ne ingrati animi te unquam arguat, cave.
PAR. Planè in dubio est animus, nec certum est quid agam.
Nam & Nominibus & Verbis multum debeo.
Res hæc gravis est, opus est hic consilio.
ILL. At enim si officium facis, nihil loci est consilio.
Meministi, Mætius Suffetius quid meruerit?
Si neutri parti te adjungas, metus est,
Neæ qui te dilacerent vindices.

PAR. Quid

PAR. Quid tu ais verbero? pergin' ea quæ libet in me dicere?

ILL. Servam me operam, ſed liberam linguam, Rex meus habere voluit.

Equidem quod res eſt dico: ſed nunc hoc more vivitur;

Obſequium amicos, veritas odium parat.

PAR. Davus philoſophatur. ILL. Tunc philoſophetur cave.

Si, quod ego vaticinor, facis, peris miſer.

PAR. Ego neutiquam ingenium eſſe puto, lingua aliud,

Aliud animo gerere. Itaque, ut reſpondeam

Ex animo quod res ipſa monet,

Ego utrique debeo quod nunquam poſſum rependere.

Antiquum eſt, libertatem amiſiſſe, qui beneficium accepit.

Si ab altero ſtabo apertè in prælio,

Ab altero damnabor ingrati animi.

Regi tuo clam ero in ſubſidiis,

Ne, qui ingratum dixerit omnia dixerit.

ILL. Id, ſi verè facis, erit Regi meo digniſſimum.

Satis habet ſi te fidum habet: ſed, per Deos, cave,

Ne fallas, & ut Mætius periit, pereas.

PAR. Ego

PAR. Ego istuc videro; res mea agitur.
Fac ut laudes hero tuo fidem meam.
ILL. Faciam, tu fac ut præstes fidem.

ACTUS II. SCENA III.
UBIQUE, PARTICIPIUM.

DII Immortales! Participium nunc ubi inveniam?
Nam omnes plateas circumversavi; per gymnasia, per myrapolia,
Per ganea, per lustra, per omnes popinas, per totum forum,
Ad emporium, in macello, in palestrâ, apud medicos,
In tonstrinis; denique ubi rarissimè solet, in sacris ædibus,
Repperissem ego sanè qui ubique sum, si fuisset uspiam.
Nunc ubi quæram, aut quam insistam viam, quærito.
PAR. Ubique, ubique. UBI. Quis est homo qui me revocat?
PAR. Nunquid novum est revocare cum cursum institueris?
Ego sum quem quæris. Sta, nisi vis perire furcifer. UB. Quin

UB. Quin tu peri potius: mihi nondum est otium, nec libet. (do?

Dii te omnes perdant, ubi tu dilituisti? ubi, ce-

Num in Pythagoræ spacio, extra cœlum ultimum?

Num in Plutonis tartaro, aut specu Trophonii?

Num in Elysiis campis, aut umbris Poëtarum stygiis?

Num in lymbo Patrum? aut Papæ purgatorio, aut alio ficto loco:

Nam in vero non fuisse, persanctè juraverim.

PAR. Mitte quæso nugas: quid est quod me velis?

UB. Quid te velim? litteras habeo serias

A Rege Amore; responsum Ubique expecto tuum.

Dum quæro satis diu est, amplius moræ res non patitur.

PAR. At interim me moraris: linguam, dum lego, reprime.

UB. Age ergo; ne moreris, tam mutus quam piscis ero.

Quam ille lentè legit! credo numerare litteras;

Nam si numerasset, nedum verba, syllabas:

Jampridem percurrisset: quam ægrè linguam contineo,

Equidem

Equidem, sic sum, non vivam potius, quam non loquar.
Num satis cogitasti? num deliberasti? quid tandem das consilii?
PAR. Quam vellem inter ipsos Reges, si fieri potest, gratiam
Componere? quam à cæptis deducere? non potest,
Sine magno malo, & totius provinciæ
Grammaticæ luctuoso damno, hoc bellum geri.
UBI. De malo nihil ad te attinet, Rex ipse viderit.
Quid de auxilio, quod petit, responsi refers?
PAR. Equidem illi pro officio omnia debeo,
Sed prudenter malo quam violenter consulere.
UBI. Nihilo plus agas, quam si imbrem in cribro geras;
Laterem lavas. Atqui confestum ad arma para;
Et fac te nobis ducem: Nomini fortiter hostem præbeas:
Jam præsagit mihi animus certum illis malum.
Rideo ante pugnam, dum animo intueor
Mutila, manca, & Heteroclita Nomina.
PAR. Ego, quæ vestra sunt in me merita,
Nequeo, quin ad vos mittam meas copias.
UB. Facis quod te decet. PA. Verum multa

Nomini

Nomini debeam; dabitis mihi veniam;
Si apertè in aciem non venero,
Ne, quam debeam illi extinguero gratiam.
UB. Ut lubet. Nos de eo non laboramus, dummodo
Legiones firmas mittas, & opem fortem feras.
Inter Neutra-Passiva, fac memineris,
Ne desint nobis Prandeo, Cœno, & ejus generis reliqui,
Qui pane & potu labores prælii mitigent.
PAR. Mittam sanè, quando ita vis. UB. Jam me amas.
PAR. Mittam etiam Præteritorum, Futurorum, & Præsentium
Parricipiorum centum Plaustra, & quia non possunt iter
Facere pedibus, addam etiam mille camelos Compositorum, & Simplicium.
UB. O virum nobilem! juro tibi per tunicæ dextram manicam,
Si nobis contigerit victoria, te non amplius
Futurum Participium, noster totus eris.
Hoccine ergo vis ut nunciem Regi meo? nam propero?
PAR. Sanè, atque ei meo nomine salutem dicas plurimam.

Abiit;

Abiit; quid est quod malim, quam huic igni
addere fomitem?
Sed ne sentiant Reges; aliud oportet linguæ
promptum,
Aliud clausum pectore habere: nam ea demum
est sapientia,
Marte quem non potes, arte vincere.
Quod si ex animi sententia acciderit;
Spero fore, ut solus Grammaticæ potiar imperio.
Promittam utrique firmas copias,
Mittam neutri: adero in subsidiis.
Si violanda est uspiam, propter regnum violanda est fides.
Sed video adventare Conjunctionem Simul.
Pereo; si hæc audivit homo pacificus.

ACTUS II. SCENA IIII.

SIMUL, PARTICIPIUM.

SIM. SAlve Participium. PAR. Tu quoque sis salus. SIM. Factus es
In tempore mihi obviam, ut ipsa opportunitas
non potuerit
Opportunius. PAR. Quid rei est obsecro?
SIM. Est quod te moneam,

Si

Si animum pauliſper libet advertere. PAR.
Libenter equidem.
SIM. Quæ inter Principes ortæ ſunt inimicitiæ,
Non ignoras. PAR. Audivi equidem. SIM.
Quod non ſolis
Sibi, ſed nobis omnibus periculum dabit;
Id te pro tua prudentia arbitror intelligere.
PAR. Intelligo ſatis: ſed inſanis quid facies hominibus?
SIM. Tuum eſt pro tuâ dignitate operam, ut pacem conſilies, dare.
Tuum eſt naſcenti malo, ne ſerpat longius, occurrere.
PAR. Nihil eſt facilius dictu; ſed quare meum ſit edice.
SIM. Tu poſt Reges primus es, utrique plurimum
Debes, te uterque amat plurimum.
Res communis agitur, concordiâ ſtat noſtra reſpublica.
Illorum alter perire ſolus nequit. Omnes nos peribimus ſimul.
PAR. Eſt ſane quod dicis aliquid, ſed non eſt iſthuc
In manu meâ. Non ſum mei juris homo.

Duobus ſervio dominis, alteri quantum addo, tantum detraho alteri :
Nec quidquam poſſum cum altero agere, niſi fidem apud alterum violem :
Ad nullum (fateor) magis quam ad me hæc res pertinet ;
Nulli hoc bellum poteſt eſſe miſerius ;
Nam quiſquis illorum peribit, peribit ſimul
Quicquid illius ego habeo: quare te rogo
Obnixè Simul, ut aliquem huic rei deſpicias
Qui authoritate & gratiâ apud utrumque valeat,
Neutri debeat quidquam. Ego qui utrique debeo
Ad hanc rem nihil poſſum conferre commodi:
Ego, ut rem meam curem, hinc abeo.
Tu quod facis, Simul, fac quæſo ſedulò.

ACTUS II. SCENA V.

SIMUL.

SIM. NÆ ille parum ſapit, qui ſibi ſoli ſapit,
Qui in publicum conſulit, rectè ille ſibi
Simul & Reipublicæ conſulit ſuæ ;
Sed qui ſibi ſeorſum cavet, publica negligit,
Cum publico (velit, nolit) peribit ſimul.

Hic

Hic fortaſſe ex hoc diſſidio principûm,
Montes ſibi ſtultus pollicetur aureos;
Miſer, qui ſua bona cum malis jungit publicis:
Quæ vita erit Participio in Grammaticæ provincia
Abſque Verbis & Nominibus? ſine quibus,
Neque flecti, neque in oratione conſiſtere,
Neque ſenſum ordiri, neque perficere ullum poteſt,
Neque quidquam ſapere grammatum,
Sed regnandi cæca libido non ſinit
Sua mala cernere, dum malis remedium
Adhuc relinquitur, verum ubi medentium
Manus fugerunt: tum demum: ſed ſero ſapient.
Inſanus, quiſquis in eadem nave navigans
Ex naufragio ſperet aliquid ſibi boni.
Sed ſurdis cano. Nemo eſt in tota provincia
Grammaticæ (ſi me ſolum excipis)
Qui a pacis non abhorreat artibus.
Alium alia movet neceſſitudo principûm:
Pronomina ſunt in clientula Nominum,
Præpoſitiones illorum inſerviunt caſibus,
Adverbia Verbis adhærent, Nominibus
Interjectionibus, infelix Participium
In communi luctu ſua ſtatuit ſolatia:
Mihi relinquitur ſoli pacis ſtudium

Hanc in meas (utinam possim) leges conficere;
Equidem meo munere perpulchrè fungerer,
Ut communi sedulo, non mihi soli consulerem:
Sed hoc miserum, qui volumus optimè,
Posse minimè, & quam velle, nihil posse aliud.
Adibo tamen Reges, ne meo desim officio.

ACTUS II. SCENA VI.

SIMUL, POETA.

SIM. LItes audio ortas, mi Poeta amantissime, inter te, & verborũ principem.
Principio, ego vos ambos hoc mihi credere vehementer velim,
Me (hujus quicquid facio) vestra causa id facere maximè:
Nam crede mihi, Poeta, Rempublicam curo, non meam.
Quæ vos tam repentè, tam inconsideratè incessit vecordia?
Quæ vos stimulat privata ira, ut rem non spectetis publicam?
Quid futurum est vobis, vitæ si quid alteri
Acciderit humanitùs: quem tu in orationc locum,
Extincta verborum gente, habiturum putas?
Non vides sublatis verbis sublatum iri carmina

Sino

Sine quibus mutum & mortuum Poetam quis non videt?

Omnem ſi projiciſti curam & amorem ſalutis publicæ;

At ſaltem privata te tangat res, & decus tuum.

PO. Quid tu me cenſes, SIMUL, futilem, & hominem nihili,

Adeo eſſe cæcum & rerum imperitum, ut opus ſit mihi

Conſilio tuo? Ego & mihi & rei Grammaticæ providero,

Etſi te, & tuo caream conſilio. Tu ſi me, quod ſimulas,

Amas: ad provinciam tuam redi, & copias, quantum potes,

Tuas inſtrue. Eſt nunc, ubi amorem probem tuum.

SIM. Equidem (ut ingenue fatear) homo ſum nullarum partium.

Utrique ſervio, utrique cupio, & Verbo & Nomini.

Si quid in commune poſſum, paratus ſum conſulere.

Alteri non tam cupio benè, ut alteri cupiam malè.

Ego nomina, ſi quando eſt opus, & verba copulo,

Communis ſervus ſum totius Grammaticæ,
ſed non ſtudeo
Partibus, niſi fortè partium lites poſſum com-
ponere.
Sed me quæſo vide : fac te verborum gentem
funditus
Poſſe perdere, quis relictus rectis tuis tranſitus,
Dic ſodes, in obliquos? quod perſonarum
vinculum?
Verbum ſi perdis, peris ipſe: conſilium in
melius refer:
Sine te, quæſo, ab hâc pernicioſa deduci ſen-
tentia.
PO. Multum te fallit, SIMUL (ut video)
tuapietas,
Sed quia ſcio te bonum eſſe virum, volo tibi
quid habeam
Exponere conſilii; ne quid me putes in rem-
publicam.
Nihil ego magis eſſe ſalvum nec cupio, nec
volo:
Non mea ſalus magis mihi cordi, quam toti-
us provinciæ.
Totam verborum gentem delere non eſt con-
ſilium.
Tantum volo armis, fame, flammâ, & cæteris
belli malis Eo

Eo redigere; ut mihi ſerviant neceſſario.
Prærerea, ſunt mihi Præpoſitiones genti meæ fidiſſimæ;
Quarum alii Accuſativos, alii Ablativos regũt,
Una etiam in Genitivos plurales feratur tenus.
His accedit Parricipiorum natio, quæ caſus mihi
Debent, & genera. Hæc libenter verborum fungentur munere.
Nonne vides, ut jam in Ablativo poſita,
Verbi Subſtantivi vicem, omiſſâ Conjunctione ſuppleant?
Hæc, mihi crede, ſatis ſunt proviſa, tu, quæ noſtra eſt provincia,
Reliqua noſtræ permitte fidei. SIM. Satis ſcio te
Eſſe providum. Sed plus (quod aiunt) vident oculi quam ocnlus.
Tu, mi Poeta, ſi ſapis, amicos adhibebis in conſilium.
Non tamen facile poteſt Verborum & Nominum familiaritas
Et conſuetudo divelli, ſine ſumma pernicie Grammaticæ.
Deinde novas leges ſancire, nova cuiq; munera
Dividere, res eſt tanti laboris, & negotii:

Ut

Ut nec dies, nec noctes vacuus sis à laboribus;
Nec liberas sis habiturus horas ad somnum, & cibos;
Adhuc, cum jam tanto labore carmina cõficias;
Cum vix suppetant verba quibus rem describas splendidè,
Quid futurum sit, censes, extincto verborum grege?
Vide, quæ tua est prudentia, quantis torqueare molestiis.
PO. Sunt ista quidem vera, nec tu mihi vana consulis:
Sed eo progressum est, ut non possim sine dedecore
Pedem referre. Id si possim libenter sanè velim.
SIM. Visne ergo ut cum verbo agam, si queam
Ullo modo, ad æquas & honestas leges utrique, flectere?
PO. Sanè; gratiamque maximam sum habiturus tibi.
SIM. Meritò te semper amavi Poeta, & nunc amo plurimum.

ACTUS

ACTUS II. SCENA VII.

SIMUL, AMO.

SI. INsanum, magnum molior negotium,
Metuoque ut hodiè possum e molirier;
Nam ex amore pristino Amorem audio versum in odium,
Ut amoris nullum retineat vestigium.
Adibo tamen, & quod possum experiar.
Amorem summum suum, & Verborum Principem,
Plurima salute impertit amicus SIMUL.
AM. Facis tu SIMUL, quod te decet, sed ubi milites.
SIM. Si me audis, AMO, quod faustum felixque sit tibi
Et tuo regno, non opus est milite.
Ego & tuus sum, & Poetæ servus;
Agam in commune, quod communem servum decet,
Ut consulam. Video quantum redundet mali
Ad utrumque, ex hoc bello; & me pœnitet.
AM. Quid tibi hanc rem curatio est aut mutatio?
Nisi abis, & milites quam primum pares tuos
Mihi in auxilium, frustrà rogas.

SI. Salu-

SIM. Salutem precor tibi; sis propitior:
Nam pessimè isthuc in te atque omnes tuos consulis.
AM. Quid ais omnium S. nisi actutum fugis, feres
Infortunium magnum; depexum, adeo
Exornatum reddam: ut dum vivas scelus,
Hujns loci, dieique, meique, sempeque memineris.
Ego, si nescis, Poetam amavi pridem:
Nunc tantum odi, quam qui maximè,
Sic fit: ita nunc vivitur: totus ego
Vel amoris, vel odii incendor flammis,
Nihil medii. Proin tu, nisi perire vis,
De pace tace, de Poetâ silentium.
SI. Væ misero mihi, væ civibus grammaticæ!
Quo me vertam? aut quid nunc deniq; faciam?
Nulla nunc reliqua spes, nullum præsidium
Salutis; de nobis video actum penitus,
Et nostrâ republicâ: sed volo aliquò
Divertere, ne tanti sim particeps mali,
Aut tantæ spectator miser miseriæ:
Utinam falsus, ac mendax inveniar vates!
Ac non tantum nobis impendeat mali.
Si non inexpectatum aliquod remedium
Intervenerit, vos nunc postremum video.
Valete

Valete omnes, & meas partes teſtamini.

ACTUS III. SCENA I.

ILLE, POETA, EGO Dux, CIS Regina, PAPÆ Dux Interjectiouum.

IL. POſtquam legationem obivi meam,
Ad Regem redeo. Sed eccum ipſum video.
Regem ſuum, regum omnium invictiſſimum,
Verborum juratum hoſtem, ſalvere jubet
Ille ſervorum omnium obſervantiſſimus.
PO. Gratus ades Ille. Adiiſti quos volui,
Et mandata ad illos pertuliſti mea?
IL. Adii, pertuli, feci, effeci, vaſa jube
Pura apparari ad rem divinam cito,
Agnum afferri purum, pinguem, & propitium.
PO. Cur? IL. Ut ſacrifices. PO. Cui Deo? IL, Mihi:
Nam nunc ego ſum tibi ſummus Jupiter,
Salus, item lux, gaudium, vita.
Proin para tu: ut hunc Deum ſaturitate facias tuum.
PO. Eſurire mihi videre. IL. Mihi eſurio, non tibi,
PO. Tuo arbitratu, ſed facile patiar. IL. Vin ſcias

Quid

Quid boni portem? pinguè mihi litares.
PO. Si quid boni eſt. IL. Ergo accipe lætitiam
Quam fero, adſunt tibi in auxilium copiæ, mea opera,
Quæ hoſtes fundant, lacerent, diſſipent,
Edant (ſi placet) carnes, bibant ſanguinem;
Et, quod tute maximè cupis, egoque volo,
Te totius dominum faciunt Grammaticæ.
PO. Summam voluptatem narras; ſed ubi ſunt?
EGO. Adſum tibi, Poeta Rex invictiſſime,
Paratus ad omnia quæ mihi imperas;
Etenim ſum oriundus ex familiâ
Tuâ, propinquitatis memor & officii.
PO. Laudo conſtantiam, facis tu quidem quod te decet,
Et quod ſummam à me merebitur gratiam:
Sed ubi milites. EGO. Ego negotium dedi
Legatis meis *Tuidæ* & *Suidæ*, hominibus ſanè fortiſſimis,
Exercitum ut conſcriberent, naves conſcenderent,
Et huc ad me continuò convalarent ſine morâ;
Illi imperata faciunt; Poſſeſſiva, Gentilia,
Relativa, primitiva, derivativa, cum articulis,
Confeſtim armant numeris, perſonis, caſibus, figuris.

Ego

Ego interea ad te transcurri, de voluntate tua
ut cognoscerem.
PO. Rectè feciſti, ad portum abi & præſto-
lare tuos;
Advenientes in caſtra ducito. Ego mox adero.
Ubi reliqui? CIS. Æternum vivat Poeta
Rex meus.
Ecce adſum cum meis fidiſſimis Amazonibus;
Ne quid te rerum noſtrarum lateat,
Multum me, verbum ad partes ſollicitavit ſuas;
Et ut ingenuè fatear, quod res eſt, illi debeo
Aliquid. Neque ignoras dediſſe, ut verbis ſuis
Præirem, & ad multas res ſignandas ducerem:
Hujus ille à me repoſcit mercedem beneficii,
Ut illius partes ſequerer, &, niſi deberem plura
Tibi, paruiſſem: tu me facis participem regni
tui,
Daſque mihi tribus præeſſe caſibus.
Non permittam, ut me ullum tempus arguat
ingrati animi,
PO. Agnoſco quæ dicis vera eſſe omnia, Cis
fortiſſima;
Et quos tibi dedi honores, eos puto locaſſe
optimè
Quod ſi nobis fortuna (quod non dubito) faveat,
Honore à me faxo afficiaris, ut mereris, duplici.

Redi

Redi in castra, & milites fessos de via refice.
CIS. Faciam. PO. Vide, ILLE, ne quid desit, quod CIS suis
Putet necessarium, si non suppetit, sume de meo:
Atque voca ad tribunal nostrum reliquos, ut intelligam
Universi vires exercitus. IL. Heus Interjectio:
Ubi tu malùm latitas? Rex te vocat. PAPE. Hui, Hei, Hoi,
Apagetè. PO. Quid tu gemis? PA. Quia quorsum
Hæc arma pertineant non video:
Sed Pape! quid hoc hominis tam splendidi?
At, at, Rex meus est Poeta, neque prævideram.
Salve Poeta, Grammaticæ ornamentum, & decus.
PO. Et tu salve Pape mirandissime. Scis quid mihi obtigerit?
PA. Audivi, sed miror magis quam credo, Pape, Pape, Pape.
PO. Amo Verborum Rex quem ante, ut nosti, feci plurimi,
Mihi hodiè in convivio injurias intulit indignissimas.
PA. O hominem audacem & impoteutem!
PO. Hunc armis Statuo

Statuo vlciſci. PA. Euge, Facis ut virum
fortem & magnanimum decet.
PO. Noſti quid te volo agere? ut dolores tuos
In hominem mittas. PA. Faciam ſanè ut
cantitent,
Hui, hei, hoi, væ miſeris nobis, quanta de ſpe
decidimus?
IL. Et merito namque efficiemus ut volitent
Ad Cœlum brachia, pedes, capita illorum?
PA. Ha, ha, hæ,
Dici non poteſt quantum ſim riſurus tanto
ſpectaculo.
PO. Redi in caſtra, & triumphum cane, vi-
ctoria eſt in manibus.
PA. Mars evohæ, io triumphũ, io triumphum.

ACTUS III. SCENA II.

UBIQUE, AMO, ÆDEPOL Dux.

UB. EVaſit ſibi ſanè, & ſuo tempore:
Nam ſi prehendiſſem, docuiſſem
gnaviter,
Quid ſit triumphum canere ante victoriam.
AM. Quid nunc agimus ſocii? unde incipimus?
Nam pugnare certum eſt. UB. Quid (ais)
agimus?
Quid aliud quam prandemus: nam animus eſt,
poſtquam Edimus.

Edimus. AM. Semper animus tibi in patenis.
UB. Sanè, non libentius uſquam vivitur.
ÆD. Apagete cum tua gula, cibi barathrum:
Nos quod venimus, agamus. AM. Quid conſulitis?
An ut ad Poëtam mittamus, adque prælium
Provocemus? nam certum eſt de victoria.
ÆD. Ita me dii, deæque, ſuperi, inferi, medioximi;
Ita me regina *Juno*, & *Pallas Jovis* filia;
Ita me *Ops Jovis* mater, & *Saturnus* pater;
Ita me juvent *Neptunus*, & *Pluto* fratres ejuſdem *Jovis*;
Si Poeta comparetur cum viribus tuis, nihil eſt:
Nam, quæ ſuperbiſſima ſunt ex Nominibus illius,
Tantum habent ſex Singulares ſatellites,
Et totidem Plurales: præterea, bona
Pars militum illis verborum eſt ſoboles,
Quæ in parentes tam ingrata eſſe non poteſt,
Ut enſes ſtringat in illorum viſcera.
At vero cum tuas recenſeo copias,
Deos Immortales! quam infinita res eſt!
Imprimis ſingula Verba habent ſex Modos;
Deinde, ſinguli Modi quinque Tempora.
Tempora autem tres Perſonas in Numero Utroque

Utroque, quæ centum & octoginta efficiunt;
Cum integra illius comparanda provincia:
Hæc per verba ducantur singula.
Hui! nullæ vires comparandæ cum tuis:
Nec fruges consumere nati, numerus imbellis
sumus.
Activorum Verborum gens est fortissima,
Passivorum natio etiam multa potest;
Frigoris & inediæ juxta patiens,
Quæ est fortissimorum verborum, & militum,
Prima laus. UB. Sunt hæc, Dux inclyte,
verissima:
Neque enim, sive vires spectes, sive numerum,
Sunt ulla arma comparanda cum tuis.
Habes, præter hos, quos ille recensuit, ingentes
Cimbrorum & Saxonum copias,
Virorum fortissimorum, quos ego genui
Ex meâ conjuge Nusquam, Ubiquitarios
Vocant, gentem sanè bellicosissimam,
In lecto qui putant indecorum mori,
In armis occumbere splendidissimum:
Horum Angliam alteri occuparunt;
Alteri Romanos ausi invadere antiquitùs.
ÆD. Castor, ecastor; Hercule, mehercule,
Pol, Ædepol:
Oportet valdè mirandos esse homines,

Qui nusquam & ubique parentes habent.
AM. Placet ergo, ut legatum mittamus aliquem,
Qui, quid habeamus animi nunciet,
Bellum toti genti indicet nominum.
ÆD. Deus fidius, medius fidius: nullum consilium
Potest rectius, aut ad honorem & decus
Splendidius dari. AM. Eamus igitur,
Et videamus, intus quis sit maximè
Ad hoc munus, & officium idoneus.

ACTUS III. SCENA III.

Traulismus, Solœcismus, Barbarismus, Cacotonus.

TRAU. LÆtemur nos,
Lugete vos,
Miseri Grammatici.

Bibamus nos,
Perite vos,
Miseri Grammatici.

Edamus nos,
Esurite vos,
Miseri Grammatici.

SOL. Num non licemus per regum dissidias
Liberaliter quodcunque venit in os loquere;

Ego

Ego nunquam curavit floccos Grammaticales regulas:
Sed ego accepit de severus Priscianus bonum remedium,
Quia ille vapulavit me millies in Scholis.
Ego nunc inter sandalibus meis frangam illum caput,
Tam tuber ego feciſti quam fungus eſt.
BAR. Ego certè bonum remedium de illo accipiam,
Nam ille nimis curioſus pro me fuit ſemper:
Nam quamvis ego loquebar congruè,
Tamen ille me vapulavit, quia dixit, me loqui barbarè,
Jam quia regnum ejus eſt perfectum gaudio.
CAC. Lætitia certè eſt in cordibus meis,
Quando videbo illius ſanguinare caput
Tantum, quantum ille fecit ſanguinare nates meas.
TRA. Væ, væ, væ, illis pediculoſis Grammaticis.
Nos ita illorum provinciam depæculabimur,
Ut nihil quod edant, niſi pediculos,
Qui nos hactenus ederunt, habeant.
Væ, væ, væ, illis pediculoſis Grammatinis.

Bellum atrox gerant;
Bellum triſte ferant;
Bello triſti mœreant;
Bello triſti pereant;
Fove lætos jocos,
Strue lætos focos.
Potitemus gnaviter:
Cantitemus ſuaviter.

Edamus abundè:
Bibamus fœcundè:
Vivamus jucundè:
Nam nunc habemus unde.
Pereant illi miſerè,
Ut nec licebit vivere:
Nec res nec ſpes ſuppetat,
Omne malum ſubeant.

Bellum atrox fero:
Bellum triſte gero:
Bellum nominale:
Bellum & verbale.
Væ Priſciano,
Væ tibi Donato,
Diomedi, Servio,
Bellum atrox fero.

ACTUS III. SCENA IV.

AMO, SODES.

AMO. NOn eſt tibi ignotum, quòd omnium aures & animos
Jam diu occupavit, quibus me Poeta convitiis inceſſerit
In convivio modò; ne eam inultam ferrem contumeliam
Ad Senatum retuli: Iis viſum ferro, fame,
Flammâ vindictam de homine fortiter expetâ.
Tu, qui natus es ad provocandum ingenio,

Viſus

Visus es nobis ad hanc legationem obeundam
Maxime idoneus. SO. Tu si jubes, ego illius nil metuo
Furores. AM. Equidem volo, & jubeo, Sodes, &
Impero. Tu me sequere, ut intus mandata accipias.

ACTUS III. SCENA V.

SIMUL, SODES.

SI. O Infelix hoc sæculum! O ætatem miseram!
O insanos homines! O cæcos sui mali!
Quæ istos agunt intemperatæ intemperiæ?
Quæ ferunt infernales furiosæ furiæ?
Quo ruunt in suam pernitiem præcipites?
Quantos in suos moliuntur montes mali?
Verborum gentem vult delere nominum furor:
Nominum Nationem vult extinguere verborum amentia:
Ac si sublatis verbis regnare possint nomina:
Aut potiri rerum verba, sublatis Nominibus:
Ac si non amore vivant: Moriantur discordiâ.
Quis rerum tam imperitus, tam cæcus, qui nesciat
Sine verbis non posse in se transire nomina:

Verba esse nuda nisi adhæreant Nominibus?
Ex meris verbis nulla oratio; ex nominibus
Meris nullus sensus; ex mutuâ consuetudine,
Ex horum concordiâ & complexu mutuo,
Omnis orationis planæ plena complexio.
Non est, quam isti inceptant stulti, pugna nova:
Audivisse memini veterem ex majoribus
Hanc fuisse contentionem: Sed de consilio
Prudentium, cùm res spectaret ad arma, compositam
Litem fuisse, & conventum in has perpetuas leges:
Ut Recti Nominum Verborum Personæ & Numero
Præessent: Verbum Obliquos Casus Nominum regeret:
Verbum in suos Infinitos; Nomen transiret in suos
Genitivos: ut partes reliquæ ad hæc munia,
His servirent ducibus. Hæc ad hunc manserunt diem.
Nunc stulti isti ad eosdem relabuntur scopulos,
Ad idem impingunt saxum; nec ullis obtemperant
Consiliis, sc mutuis vulneribus
Eunt perditum: nec patiuntur corrigi.

SO. Deus

SO. Deus bone! quantum intus variatum est consiliis?
Alius censet non mittendum esse belli nuntium:
Alius inhonestum esse invadere imprudentem:
Alius mittendum esse, & æternum Poetæ silentium
Indicendum: alius non perdendam esse artem poeticam.
Quid omnes vobis referam sententias?
Videtur verum esse, quod vulgò dicitur:
Tot sententiæ quot homines: tot sensus quot capita.
In hoc unum omnes unâ voce congruunt,
Domandum esse bello nominis superbiam,
Et mihi tandem negotium dant ut bellum denuntiem.
SI. Heu, heu, quo me vertam? aut quid inceptam consilii?
Heus, heus Sodes, quo tantoperè properas?
SO. Quo me misit Rex & Dominus meus:
Ut atrox bellum indicam Nomini.
SI. Noli, mî Sodes, si me amas facere.
SO. Egone ut Domino non paream meo?
SI. At charior tibi debet esse respublica;
Corrigendus Dominus rectis consiliis.
SO. Tu, qui sapis, consule; certum est mihi

Autho-

Authoritatem Domini non defugere.
SI. Heu perit res, heu perit penitus!
Hìc neque conſilii neque auxilii eſt ulla copia.
Reſtant quatuor exorandi Grãmaticæ judices,
Priſcianus, *Diomedes*, *Donatus* & *Servius*.
Res illorum agitur: ad hos provocare certum eſt,
Si quid adhuc authoritatis relinquitur.

ACTUS IV. SCENA I.

SODES Legatus Verbi, *ILLE*, *POETA*.

SO. Hæc, opinor, ſunt caſtra hoſtium: adeone hominem
Furioſum? Eccum ipſum; nihil quidquam opportunius.
Amantiſſimus ſuorum, Rex Amo, & tuis infeſtiſſimus;
Dux atque imperator belli invictiſſimus;
Herus indubitatus, & Rex totius Grammaticæ
Poetæ Nominum tyranno peſſimo, pro priſtina ſalute
Mittit ferrum, famem, flammam, peſtemque peſſumam.
IL. Nugæ ſunt quas blattis, nec quidquam timoris afferunt.
PO. Quis tu es, qui audes nos laceſſere?
SO. Sodes

SO. Sodes ſum, de gente Adverbiorum, qui te ſodes, Sodes provoco.

PO. Hanccine verboſa nobis de gente ſalutem
Mittit Amo? tantine putat ſua verbula pendi?
Verba movent timidos, nil fortia pectora terrent:
At nos pro verbis illi ferrumque, famemque
Mittimus, & flammam: vel ſi quam forte ſalutem
Cerberus ex ima dicat Phlegitonte, velatris
Horreſcens Hæcate colubris, vel quicquid avernum
Incolit horrendum, ſquallens, deforme, cruentum.
Hanc putet ex animo nos nos dixiſſe ſalutē.

IL. Sodes, cape hanc ſalutem & refer tuis,
Inſanum hominem incendiſti furore Poetico.

SO. Imo relinquo vobis, vos quam peperiſtis tollite.

IL. Nunquid valet Rex tuus Amo? SO. Invitis vobis rectè valet,
Et veſtro magno malo. IL. At infortunium ab amico
Dicas, volo. SO. Fortuna favet illi, ut tu pendeas,
Et tui pereant: neq; ſalutem veſtram moratur,

Quibus

Quibus est daturus Tartarum. ILLE. At tu male vale,
Mi Sodes. SO. Et tu, mi Illide, malè peri.

ACTUS IV. SCENA II.

POETA, ILLE, CIS, EGO, PAPE.

PO. VIdetis, commilitones fortissimi,
Quam indignis, Amo, me miserum lacessit modis:
Unum tantum relinquitur, ut quantũ possumus
Accingamur ad prælium. Nunquid placet?
IL. Nunquid placet? num tu de tuorum adhuc
Dubitas voluntate? turpe fuisset non progredi:
Progressum pedem referre turpissimum.
Equidem æternũ famem malim meis faucibus,
Quod ego malum malorum omnium maximè metuo,
Quàm te, in te, & tuos tantum admittere dedecus.
CIS. Quin tu (ego de nobis nihil prorsus dubito)
Aude, & certam tibi pollicere victoriam.
EGO. Aude, mi Poeta, jam opus est viribus, non consiliis.
PA. Tu mihi Rex si tantum audis: ego doloribus

Omnes

Omnes tibi tuos hoſtes conficiam.
Mittam in eos hui, hei, hoi, frangicordios.
PO. Nihil ego metuo, neque de veſtra voluntate
Dubito, aut noſtris viribus. Ergo tu CIS,
Cum tuis Amazonibus in dextero
Cornu curabis, in lævo Egonides;
PAPE cum ſuis doloribus agmen medium
Tenebit, ut terrorem hoſtibus injiciat
Non parvum: Ego in ſecunda acie curabo;
Ille cum Adjectivis erit in præſidiis.
Sed miror non adeſſe Participium:
Cùm venerit ille cum præſidio jungatur.
Nunc, comilitones fortiſſimi, oratione non eſt opus
Ut vos animem: Omnis ſpes eſt in manibus:
In pedibus infamia aut turpe dedecus.
Mementote cum Verbis eſſe prælium
Vobis, quæ non virorum, verùm mulierum
Sunt arma. Vos Verba in fugam verberibus
Vertite: Hoc unum facite. Memineritis
In fuga plus eſſe, quàm in prælio periculi.
Pugnate ergo fortiter, hoſtes fundite,
Pellite, vertite, fugate, vincite,
Speculator Ille quid rerum gerant,
Nos interea inſtruemus aciem.

ACTUS

ACTUS IV. SCENA III.

ILLE, UBIQUE.

IL. QUis hic homo, qui nobis venit obviam?
Si non incerti me valdè fallunt oculi,
Ubique eſt, homo mei juris atque loci,
Qui ſemel pranſus eſt duo jugera tritici,
Sex dolia vini, duos boves, decem oves,
Præter gallinarum, perdicum, Palumbium,
Coturnicum ingentem gregem.
UB. Illedemne video, Paraſitum nominis?
Ipſe eſt: adibo hominem. Salve barathrum
Ciborum, ferculorum totorum helluo.
IL. Et tu, jurate Bacchi hoſtis & Cereris,
Malè peri, quando nos una menſa non capit.
UBI. Haud male ſalutem dicis: ſed tu peri potius
Siquidem periundum eſt alteri.
IL. At tu imprimis peris, UBIQUE, ſi me conſulis;
Ego tecum non poſſum valere amplius,
Sequar ad interitum. Nunquid eſuris?
UB. Quid rogas? num num fame perire cupis?
IL. Malo ſaturitate. UB. Credo; ſed fame perit potius

Quiſquis

Quiſquis Poetæ ſervit famelico.
IL. Quid, qui Amoni miſero? Sed quid agitur
Apud vos. UB. Focus ſtruitur quinq; millia
Longus, latus decem ſtadia. IL. Tu quid ais?
In quem uſum? UB. Ad coquendum quic-
quid terreſtrium,
Volatilium, aquatilium gens nominum alit.
IL. Cui ventri? UB. Noſtro. IL. Cre-
do: nam quam ſit capax
Cibi venter, jam totos decem annos ſcio.
Sed heus tu! quid nobis relinquitis? UB. famē.
IL. Hui, tantum famem? Cœnam narras
miſeram.
UB. Si quemvis, miſeriorem habebis coquum
Paratum,
Condum, & Oeconomum etiam.
IL. Habeo gratiam, debeo ſane tibi,
Et, quod grati primum eſt argumentum animi,
Dabo quam poſſum operam, ut rependam bre-
viſſimè.
Sed, heus Ubique, quid captis conſilii?
Delere nos miſeros vultis funditus?
UB. Funditus, ut nullum veſtigium nominum
Linquamus: nam nihil aliud eſtis quàm nomina.
Nos verò, vobis extinctis, alia fingemus
Nova, quæ nobis pareant æternum decus.

IL. Contra

IL. Contra naturam mihi sapere videmini:
Nam sublato Poetâ quis amores canet?
Aut quis amore amicam placebit, aut tollat laudibus.
UB. Nos id videbimus, id vestra nihil refert.
IL. Vide etiam ne quidquam & serò pœniteat:
Nam multa facimus temerè quæ infecta esse volumus,
Quando infecta esse possunt nullo modo.
UB. Vos mortuos, nunquam erit, quando nos velimus vivere.
IL. At nos adhuc vivimus, vobisque mortuis
Vivemus; facilius est nomini sine verbo,
Quam Verbo sine Nomine vivere.
Habemus firmas copias, regem invicto animo,
Qui Amonem non pluris quam muscam facit.
Ego te, Ubique, brevi nusquam fecero.
UB. Magnifica vero verba. IL. Nos verbis verba linquimus;
Vos datis verba, nos autem verbera.
UB. Passiva scilicet. IL. Activa, Activa senties.
UB. Heus, heus ILLE, unum te volo. IL. Dic quid est,
UB. Abi cito, & suspende te, ne pereas in prælio.
IL. Non convenit, nec mihi vacat ad eam operam.

Tu

Tu, si cupis, vaco tibi & tuo hero, habetis paratum carnificem.

ACTUS IV. SCENA IV.

AMO, ÆDEPOL, UBIQUE.

AM. NOn me latet, Milites, verba virtutem non addere,
Neque oratione fieri fortes, quos natura genuit timidos:
Sed de virtute vestra nihil dubito,
Ea mihi spectata est satis jam diu, scio
Quàm fortes & fidi sitis. De vestris ut dicam hostibus,
Diversa est ex diversis gentibus hominum colluvies.
Pronominibus vanis, Interjectionibus timidis,
Præpositionibus tumidis, & Nominibus inanibus,
Animis inter se incertis, & voluntate ambiguâ:
Vos contrà, unius gentis cives, quibus idem est utile
Et inutile, quibus vita & mors communis,
Patria una, unus Imperator, periculum unum, una salus;
At unam oporteat esse voluntatem, unam ad pericula
Ferenda, superāda, alacritatem semper in præliis,

Metus

Metus periculum, audacia ſalutem fert. Pergite
Atque imbelles hoſtes, ſervos veſtros, qui in
Dominos
Arma capiunt ſcelerata, ſternite, fundite,
Vultum veſtrum mihi credite nunquam ferent.
Gloria, victoria, res & ſpes ſita ſunt in manibus.
Audenti decus, timenti præponitur dedecus.
ÆD. Ita me *Caſtor* & *Pollux*; ita *Juno* ſerviet & *Jupiter*;
Ut ego hodiè nominum manipulos fugabo ad
tartarum,
Et in Cocyto amne ſubmergam miſeros.
UB. De nobis jubeo eſſe ſecurum, junge mihi
Edo ſervum tuum,
Tibi nominum turmas omnes ſolus edam.
AM. Novi equidem virtutem ſatis eſſe veſtram. Tu ÆDEPOL, aciem
Inſtrue. Vide tu, Ubique, quid hoſtes rerum
gerant:
Ego poſt principium ſignum dabo omnibus.

ACTUS IV. SCENA V.

UBIQUE, EDO, SIMUL, ILLE.

UB. HAud ſtulte ſapit quiſquis ante cavet
quàm doleat:
Nam nos ſatis periculis objicimur
Soli,

Soli, tam longe ante legiones. Si quid mali
Nobis acciderit, neſcis quantum Reſpublica
Damni ferat. Extincta edendi facultate perimus fame,
Et me ſublato perit etiam, qui tibi fidelem navet operam.
ED. Providè ſane ego mihi videro, tu ſi libet
Solus peri; ſed heus! unum eſt neglectum nimis
A nobis, ſumus hic ſoli ſine viatico,
Periculum eſt ne hîc in montibus periamus fame.
UB. Iſtuc nihil eſt pericli, huic ego malo
Subveni ſatis, nunquam ſum ventris tam negligens.
Meo ſatis ventri habeo quod ſufficiat,
Tibi, qui nihil aliud facis quàm edis, nunquam deeſt
Quod edas, ſed heus tu, vide quam ſim condus optimus.
ED. Et promus etiam. UB. Promo mihi non tibi,
Tu me, quam ſcite edam, vide. ED. Utriq; id ſufficeret,
Me ſi non permittis ſimul edere, fugiam ne tu quid edas.

Sed quid hoc hominis qui fugit ab exercitu ?
Hac tu ſerva, ego illi me objiciam.
Heus tu bone vir ! quis tu es, aut quo fugis
à prælio ?
SUM. Ego Sum, ſi neſcis, nil pudet nomen
profiteri meum :
Sed tu, qui non alius es quàm Edo, quid tibi
mecum ?
Aut cur tibi reſpondeam quorſum abeam ?
UBI. Quia ſic eſt libitum aut reſponde aut
morire.
SUM. Ne hercules quidem contra duos, ma-
lo reſpondere
Bis quam mori ſemel. Magna mihi affinitas
Cum Nominibus Subſtantivis, his ſubſum
ſolis,
Nec his ſublatis eſt quidquã cui ſubſum aliud;
Ego hæc & me perire non poſſum pati :
Ideo fugeo in commune ut conſulam.
UB. Quid ais omnium ? tibi id licere impu-
nè putas ?
SVM. Si quid eſt, quod dem vobis, ſinite
ad Subſtantiva
Ut tranſeam, & quod edatis abunde dabo.
UB. Tu ut ſubſtantiva des nobis transfuga,
Dẽtibus quę ſunt deſtinata noſtris? Illi. qui
Hominum

Hominum? quid hoc? paratæ menſæ? præ-
da hæc deſtinata mihi,
Vos ſubſtantiva eſurite, ſt, ego hæc interea
edam.
UB. Tu Edo ſerva hunc magnâ diligentiâ;
Liber captivus avis fere conſimilis eſt,
Semel fugiendi ſi data eſt occaſio
Satis erit, nunquam poſt illam poſſis prændere
SVM. Si non eſt. quod dem vobis, mene vul-
tis ut dem in pedes?
ED. Si dederis, erit extemplò mihi quod
dem tibi.
SVM. Avis me fere conſimilem faciam.
ED. Ita ut dicis, nam ſi faxis te in caveâ dabo.
SVM. Satis eſt verborum, quid vultis me
inanem dare,
Quidvis malo quàm perire. ED. Sine me
precium
Hoc ferre Vbique, homo es, ſocius es. VB. Sino
ED. Quia es inanis, neq; alieni quod des habes;
Quid mihi de tuo ob libertatem largiri lubet.
SV. Ego tibi Præſentis Indicativi mei largiar
Tres perſonas: Es, eſt, eſtis; Imperativi duas
Formas: Es, eſto; eſte, eſtote. Secundi modi
Imperfectum totum, ut pro ederem & cæteris
Dicas impunè, eſſem, eſſes, & cætera.

ED. Adde Infinitivum esse, & liber esto. SV. Addo. Vale.

Mementote jam id quod ego dedi nihilominus esse meum.

VB. Hem! mensa vacua est; perimus miserè miseri.

Quid hoc (malum) rei est? quod nos odium perdiderit?

ED. Miror sanè, nemo hic homo fuit; sed quis cibi

Venter tam capax qui tantum tam citò consumeret?

VB. Actum hodiè de me est, sed potesne

Drachmam unam mihi dare quam cras tibi reddam.

ED. Vix, herclè, opinor si me opponam pignori:

Sed quid de drachma facere vis. VB. Restem volo emere.

EDO. Quamobrem? VB. Qui me faciam pensilem.

Certum est jam de me supplicum sumere,
Qui tantum bolum emiseram è faucibus,
Hoc flagitium non me sinam, ut impunè feram.

ED. Quis mihi drachmam reddet si dederim?

Tu; si ita certum est? Per me pende, & peri.

Egone

Ego ne drachma mihi simul pereat cavero.
Jam ventum est in verum periculum famis,
Ego ad meos redeo. VB. Et ego me suspendam paululum,
Saltem dum hæc à me abscedat ægrimonia.

ACTVS IV. SCENA VI.

SIMUL, PRISCIANUS.

SI. AD te venio, spem, salutem, consilium, auxilium expetens.
PR. Neque pol consilii locum habeo, neque auxilii copiam.
Sed isthuc quinam est. SI. Nisi tu & collegæ succuritis,
Actum est de Grammatica. PR. Quid ais de Grammatica?
SI. De Grammaticâ dico, tantæ tempestatis litium
Ortæ sunt subitò inter Poetam & Amonem,
Ut nil nisi de bello cogitent,
Et moliantur interitus alter alterius.
Ego ut gratiam restituerim feci officium,
Mea tam parum potuit apud illos oratio,
Vt jam ventum ad manus putem.
PR. Me miserum! quid ego audio? nunquid verum prædicas?

SI. Verum prædico, & ipſe audivi quod dixi ſingulis;
Sed ſurdis cecini; laterem lavi, Poeta erat æquior,
AMO minatus eſt mihi malum. PR. Perimus penitus,
Sed cur ceſſo collegos convocare meos
Vt huic ſubito ſubveniamus malo.

ACTUS V. SCENA I.

PRISCIANUS, DIOMEDES, DONATUS, SERVIUS, SIMUL.

HEus DIOMEDE, & te SERVI, & te DONATE volo,
Veſtra intereſt, veſtra res agitur. Nunquid
Audiviſtis iſtius? ad me venit SIMUL,
Vir probus & prudens, & rei Grammaticæ amans,
Is ait inter Verbum, & Nomen ſimultates maximas
Recens natas, quæ Grãmaticam peſſundabunt,
Niſi nos maturè occuramus malo;
Feciſſe ſe officium: adiiſſe ſingulos,
Compellaſſe, monuiſſe, oraſſe, ut meminerint
Quorſum perniterent arma civilia:
Non magis comoviſſe, quàm ſi eſſent lapides:

Rem

Rem ſpectare ad prælium: jam ventum eſſe
ad manus:
Metum eſſe, ne ſuccurramus ſerò nimis.
DI. Itane deſipiunt? Itane deſæviũt principes?
Eonc proceſſerunt vecordiæ, uno die ut perdant
Tot ſæculorum labores. SE. Pereant illi potius
DI. Quid eſt, SIMUL? unde orta eſt con-
tentio?
SI. Ex vino nata eſt, unde omnia ferè mala.
Neque Bacchæ bacchantur in Bacchanalibus
Furioſius, quã iſti de principatu inter Cyathos
Rixabantur, & poſt Cyathos digladiabuntur.
Verbum ſuum, Nomen ſuum eſſe orationis im-
perium
Aſſerebat; ſed lentioribus ſtudiis.
Verbum contendit pendere à ſe nomina:
Nomen verba à Nominativis ſuis.
Hinc ad jurgia ventum eſt, inde ad convitia,
Et quæcunque mala, ira atque offenſus animus
In eos ſolet, quibus ſuccenſet vomere.
Tandem diſceſſum & ſævè omnia alter alteri,
Minarentur, intentarentque interitum
Alter alterius. Poſt illa nihil pro ſanis egerunt.
Ego imprimis Poetam adii, & eò tandem per-
puli,
Ut ſibi, ſuiſque proſpiceret laboribus.

Amo

Amo vero nihil audiebat æqui, nihil
Niſi cædem & ſanguinem ſpirabat, & mihi
Omnia, ni tacerem, minatus eſt malè mala.
DO. Hoc gliſcit, hoc jam ſerpit latius malum,
Niſi maturè occuramus perimus funditus:
Quid cenſetis? quid primum fratres facietis?
DI. In ſummis periculis ſummo opus eſt conſilio,
Deliberandum eſt diu, quod ſtatuendū eſt ſemel;
Ubi corrigendi minima copia,
Ibi peccandi maxima licentia.
Periculum toti Gramaticæ imminet provinciæ;
Id cavendum ne accerſamus, dum nitimur,
Amoliri malum. Qui non prudenter conſulit,
Sæpè incurrit imprudens in contrarium.
Eſt demandatum nobis à Mercurio,
Literarum & linguarum præſide,
Non Grammaticæ imperium, ſed judicium:
Eſſe judices juſſit litium omnium,
Aliena reddere Dominis: ſuum
Cuique. Non ſunt nobis arma, aut opes,
Quibus rebelles cogamus in ordinem.
Duo relicta ſunt tantùm remedia:
Primum, ſi nobis recta conſulentibus
Parere ſuâ ſponte, ſine vi velint:
Alterum, ſi id nequimus, ut Mercurium
Accerſamus,

Accersamus, qui hanc nobis dedit provinciam.
SE. Sapienter tu quidem, Diomede, ut omnia.
Primum, de nobis faciamus periculum,
Ut non defuisse Mercurius videat
Nos officio nostro. DO. Rectè consulitis,
Eamus, & præcones mittamus citò,
Qui imperata ad eos intrepidè ferant.

ACTUS V. SCENA II.

QUAMVIS, TAMEN, PRÆCONES.

ATrox sane adimus periculum, metuendum malum
A malis, qui in se sæviunt, nequiũt nobis parere.
TA. Si Principis iram timent, nobis nullam audent injuriam
Intentare. Si non timent: fortis est perire
Ut pareas ei, cui non parere summum est flagitium.
Qui principi paret suo, felix si vitat malum,
Felix etiam quamvis impingat malo:
Illum fortuna fidis commendat posteris.
Q. Ergo ascendamus subgestum, tu ex scriptis recita
Mandata, judicium: ego magnis laboribus,
Quæ tu subjicis aurito decantabo populo
Oies, Oies, Oies, audite mendata quæ ferimus.

Mercurius

Mercurius, Jovis ſummi filius, Deorum munere
Eloquentiæ & artium Deus, Verbo & Nomini
Grammatices ſatrapis ſalutem. Quando nobis
data
Grammaticæ provincia fuit, totam diviſimus
In octo partes ad tollendum diſcordiæ ſemina,
Pax in principio, quam voluimus, aliquamdiu
ſtetit.
Tandem cæptum (quæ eſt ingeniorum diſſentio
Studentium ſibi, non Reip.) de jure partium
Quæri. Nos ad illam accerſiti controverſiam
Res quia erat multiplex, & nobis abeſſe à
conſilio
Deorum non licuit, peritos dedimus Judices,
Qui de litibus illis cognoſcerent, atque ſuis
Sententiis æternum regerent: Priſcianum,
Diomedem, Servium, Donatum; qui com-
municato conſilio
Totum illud extinguerent incendium: nunc
iterum
Audimus in majores flammas erumpere, in-
ſurgere
Nomen in Verbum; Verbumque in Nomen
acerbis odiis,
De principatu contendere Grammaticæ, & in-
teritum

Alterius

Alterius alterum moliri. Quare præcipimus,
Ut noſtro edicto audito, qui Grammatices incolunt
Fines ab armis omnes diſcedant, & ad judices
Omnes ſuas lites referant, & controverſias:
Qui ſæcus faxit, aquâ, & igni interdicimus Grammaticæ.
Nomini & Verbo ſeorſum præcipimus;
Ut ſe ſtatim ſiſtant ad tribunal Judicum;
Ut ſe, ſuaque illis omnia permittant. Si non pareant,
Nos expectẽt contumacię ſuę ſeveros vindices.

ACTUS V. SCENA III.

AMO, ÆDEPOL, UBIQUE, SIMUL.

AUditis, Populares, mandata Mercurii;
Hoc me perſequi non licet odium,
Nefas Mercurio nobis reſiſtere,
Ille Dominus, ille Imperator provinciæ
Noſtræ: illi parendum, ſi volumus eſſe aliquid.
Et nunc cùm rem mecum altius reputo,
Stulte à nobis factum eſt, ſolus Simul ſapuit.
Ille mihi verum decantavit, ſi vero eſſent patulę
Aures; mihi nunc fidum ſpreviſſe conſilium,
Poſt miſeram meorum cladem, pœnitet.
Nunc certum eſt parere imperio,

Et

Et judicum ſententiis me ſubmittere.
Ah, vehemens in utramque partem nimis fui.
Semper ego aut amore nimio aut odio feror,
Vos arma ponite, & mecum ad iter accingamini.

ACTUS V. SCENA IV.

FORS, POETA, EGO.

FO. HEm Poeta, dum tuas partes ſequimur
Quo redacti ſumus. Cùm fortuna tam infortunata ſit,
Ut præter Nominativum & Vocativum ſuperſit nihil.
Quid vulgò putas accidiſſe Nominibus?
PO. Rem perditam noſtram & afflictam graviter video:
Siccine miſeros à tã miſeris nos perire hoſtibus;
Convocate manipulos, redintegrate prælium,
Aciem inſtruite, claſſicũ canite, hoſtes fundite.
Non redibo dum vincam, aut perdam quod eſt reliquum
Fortunæ. EG. Ne pergas, mi Rex, moneo,
Dum ex prælio nos recipimus ad forenſem lapidem
Præcones forte, cernimus. accurrimus, nam confluxerat

Eò

Eò turba hominum. Ibi voce maxima
Quamvis, & Tamen edicunt verbis Mercurii,
Ut omnes discedant ab armis; citant
Ad tribunal Judicum te, & Amonem. Suis
Amo edixit, ut armis positis, se ad Judices
Sequerentur. Tibi cavendum sedulò,
Ne Judicum animos occupet homo
Ad favorem, & gratiam natus; & in tuum caput
Hanc fabam cudat; tuque immerito
Damneris. PO. Quid ego audio?
Illene ut animos Judicum occupet?
Sequimini ut nostrã defendamus innocentiam.

ACTUS V. SCENA V.

PRISCIANUS, DIOMEDES, SERVIUS, DONATUS, FORS, POETA, AMO.

PR. FOrs, quia cladem te accepisse video,
dic Nominum
Et Verborum cladem; nam quæ Fortunę perpètua comes
Es, omnium te fortunas nosse est necesse.
FO. Faciam libenter;
Nam, adjunctis mihi sociorum turmis aliquot,
Ipsa prodeo ante signa, ut levi prælio
Tentarem hostem, erat in æquo campo pugnæ locus.

A dextris

A dextris fuit fossa, lapicidinam fuisse puto;
In ea furtim hostes sex cohortes occultaverant,
Nos prætergressi involamus in obvios.
Illi, ut erant viribus, numero, & armis pares,
Fortiter impetum nostrum sustinuere,
Interea qui in insidiis erant, à tergo nos adorti
Metum injecerunt non parvum, alii trepidare discursu alio,
Alii fugam cogitare, re subita perculsi.
Ego omnes circumire; appellare singulos;
Meminerint virtutis pristinæ; plus esse periculi
In fuga; dividerent se in duas acies;
Utriusq; agminis impetum exciperent fortiter:
Illi imperata faciunt, atrox pugna utrinque fit,
Virtute & vi pro se quisque nititur: feritur, ferit,
Pellit, pellitur: occidit, occiditur: hic clamat, gemit
Ille vitam exhalans ultimam; ego omnes circumvolo,
Omnibus dum adsum, absum mihi cunctosque perdo meos
Casus, præter Nominativum & Vocativum, qui se clam è periculo
Surripuere, etiam Sponte dum paratius, Impete Violentius,

Violentius, Aſtu callidius, Juſſu imperioſius,
Permiſſu negligentius. Promptu, Natu, Noctu, Diu
Imprudentius agunt, omnes amittunt caſus reliquos:
Item Preces dum precatur, opitulatur Opis,
Succurrit vicis, Nominativum, Vocativum, Dativum miſerè
Amittunt ſingulares. Suppetiæ etiam ſuppetias
Ferunt ſuis, reliqua perdidit: Inficias vero
Niſi verbū Eo in fidem recipiſſet ſuam, penitus
Periſſet. Tandem utriſque labore, & certamine
Fatigatis, ad ſuos reditur. Poeta Nil, & Nihil
Fas & Nefas, nomina in U & in I, Numeros
A tribus ad centum, perpetua damnabit caſuum
Varietate ob ceſſationem in pugna. Hæc in prælio
Illo miſcio. Tandem Poeta univerſas copias
Promovet, hoc idem hoſtis ferox facit:
Ventumque ad manus ultimas eſt.
Magna utrinque perturbatio, fit ſtrepitus ingens,
Rauci clangor æthera verberat,
Virorum clamor, armorum fragor, equorum fremitu, Curuum

Curuum ſtridor boat, Cœlum remugit, tellus gemit,
Recuſſum duplicant montes ſonum.
Nomina quæ in primâ acie ſteterunt,
Aut dum inſtant, ſingularem, aut dum fugiunt
Pluralem numerum amiſerunt. In quibus Leguminum
Et Metallorum nomina, & quæcunque modio aut pondere
Metimur, Subſtantiva ab Adjectivis, atque Propria
Ferè omnia Pluralem amiſerunt Numerum,
Ut ne deorum quidem ſit parſum Nominibus.
Genitivos & Dativos & Ablativos Plurales, Declinatio
Quinta perdidit: præter Rem, Faciem, Aciemque Diem.
Nec verborum clades minor: Præteritum
Perfectum, ejuſque totam ſobolem
Paſſiva perdidere: Neutra ut Doleo, Valeo, Sedeo
Voce in R privata ſunt: Vergo, Gliſco, Fatiſco, Ambigo,
Polleo, Video cum Inceptivis in Sco Præteritū
Perdidere: vocem in O Deponentia,
Et Communia amiſerunt: verbum item facio, quo non aliud Eſt

Est magis activum, Passivum perdidit. Impersonalia
Multa sunt facta, amissis præter tertiam, omnibus
Personis. Tertius modus, nimio imperãdi studio
Præter futurum reliqua perdidit tempora.
Ac summatim, si singula singulorum recenseam
Damna, dies me prius deficeret quam oratio.
SER. O insignem dementiam! O insanam væcordiam!
O flagitium non ferendum! quid collegæ facimus?
Siccine sceleratos homines rem publicam perdere?
Siccine sudores & labores nostros corrumpere?
DIO. Iram compesce, SERVI, nil magis obest judicio:
Est hoc (fateor) grave peccatum, sed non corrigitur
Furor furore: nobis videndum, nedum malo
Occurrimus, ni curramus malo.
Tu ergo AMO quæ te dmentia, insania eò perpulit,
Ut rem tuam sic affligeres? AM. Peccatum à me graviter:
Ego me, meaq; omnia vestris submitto sentẽtiis.

De me, & in me quod libet ſtatuite: ego ut poſſum feram.
SER. Mereris ſanè gravi ſupplicio. DO. Sanè graviſſimo.
DIO. Satis res per ſe habet ſupplicii: uterque ſtultitiæ
Suæ pœnas luit acerbas ſatis. Poetam audio
Fuiſſe mitiorem. PO. Peccatum à me quoq; fateor
Nimis: peccati noxam excuſat, non tollit, levitas:
DIO. Habemus confitentes reos: quid velimus aliud?
Qui ſuæ luit imprudentiæ pœnas, ſatis luit
Ad prudentiam: quidquid ultra eſt, ad vindictam pertinet;
Quæ à nobis debet abeſſe longiſſimè, ut communibus
Amicis. PRIS. Rectè DIOMEDE. Sed ut hujus perpetua
Maneant mali veſtigia: ne quid audeant temerè
Poſthac. DIO. Sanè neque ſi volumus,
Integrum eſt nobis corrigere.
Satis res Grammatica accepit vulnerum ad memoriam rei
Æternam;

Æternam. Sed videamus an hæc quovis modo
Possint sanari. De Metallorum nominibus
Et Leguminum statuamus ut numero careant,
Ne numerus sit illis necessarius. DO. Remedium
Sanè ingeniosum. Id vultis Collegæ? COLL. Volumus.
PRIS. De rebus etiam statuamus Propriis,
Ut plurali careant, ut nomina: ne numero
Plurali destituta videantur. COLL. & illud placet:
Nisi unum nomen rebus detur pluribus. Ut Cæsares,
Fabricios, Scipiones, plures appellare liceat.
Sed Præteritorum Passivorum jactura gravissima.
Quod huic morbo, PRISCIANE, invenias remedium?
PRIS. Ut hæc ex verbo SUM componamus, & Participiis
Passivis. COL. Peritus herclè, & ingeniosus es Medicus.
Sit hoc autem in Legibus adscriptum. Sed quod remedium
Verbis Neutris adhibes, quæ vocem in OR perdiderunt?

PRI. Hæc facilius curavero. Nam, cùm quod præponitur
Verbis in R, verbis in O ſubſternitur,
Statuamus ne verba in O ullos regant caſûs,
Qui Paſſivis ſuis præponi nequeant;
Formentque paſſiva illarum perſonarum tantum quas poterunt
Sibi ſubſternere: ut quia vitam vivere, & curſum currere
Dicimus, dicamus vita vivitur, & curſus curritur.

DIO. Nihil potuit rectius, aut melius conſuli.
Dignus PRISCIANUS qui ſolus rei præſit Grammaticæ.

PRIS. Quæ perſonas amiſerunt miſera impersonalia
Subſternent ſibi caſus, quæ præcederent,
Conſtenta tertiâ tantum ſingulari ſine ſuppoſito.
Dicamuſque pro *Ego miſereo*, *tu miſeres*, *ille miſeret*, &c.
Me, *te*, *illum miſeret*, &c.
Et pro *Placeo*, *places*, *placet*; *mihi*, *tibi*, *ſibi placet*;
Nobis, *vobis*, *illis placent*.

DO. Quando tam facilè curas omnia,
Incæptivis

Incœptivis in Sco adhibe remedium.
PR. Quando illa ſuum amiſerunt Præteritum,
In ejus locum Primitivi ſubſtituant;
Ut ab *Erubeſco, erubui*; à *reſipiſco, reſipui.*
DO. Perge de iis quæ amiſerunt vocem in O ſtatuere.
PRI. Paſſivam ſignificationem perdant Deponentia:
Quorum alia ſunt Activa, Neutra alia.
Activum & Paſſivum uſum tenebunt Cõmunia;
Ut quod duobus finibus ſignârunt, nunc uno ſignificent.
De Facio neſcio quid faciam: niſi vultis novum
Fingere paſſivum. Id ſi placet ſit Fio. Coï. Perplacet.
PRIS. Nunc quod reliquum eſt cladis, id funeſti mali
Perpetuum ſit monumentũ in Verbis Anomalis
Et Nominibus Heteroclitis; ut qui Grammaticam
Poſthac attingant, funeſtum hoc bellum perpetuo
Execrentur. SER. Sed unum eſt, Judices clariſſimi,
Quod vos ſubmonitos volo. Multa è nominibus
Priuſquam adierunt funeſtum prælium, duplicem

Induiſſe formam: ut ſi hæc occiderit, illa evaderet.
Cujus generis Tignus, Tignum; Baculus, Baculum;
Balneus, Balneum; Menda, Mendum; Clypeus, Clypeum;
Et hujus generis infinita alia:
Alia ſociorum mortuorum eripuiſſe exuvias;
Neutra Singularia Fœmininorum Pluralia.
Ut Balneum, Epulum, Nundinum; Balneæ, Epulæ, Nundinæ.
Maſculina Neutrorũ; ut Sibilus Jocus, Locus, Sibila Loca, Joca. Nominativos duplices alia Induiſſe, uno contenta Genere; Vomis, vomer, Gibbus, Gibber; Cinis, Ciner; atque Cucumer, Cucumis.
Quædam Secundæ: Laurus, Domus, Quercus, Pinus, Ficus, Cornus, Colus, Penus,
Ad Quartam Declinationem defeciſſe. Vas Tertiæ, Jugerum Secundæ, Declinationem pro arbitrio
Mutare: tantam eſſe rapiendi & furandi libidinem;
Ut ipſe Jupiter alienos Caſûs invaſerit,
Metuſque ſit, ne furto plena ſint omnia.
DIO. Eſt hoc ſane pernicioſiſſimum: ſed nos id viderimus, Ne

Ne ſerpat longius. Quæ vero ſorte belli nunc tenet
Quiſque, non poſſumus ſine injuria illi eripere.
In poſterum, ut ſuo quiſque vivat, cavebimus.
Te vero Verborum Rex, & te Nominum
Perpetuam volumus colere amicitiam.
Et, ne quid poſtea peccetis, ſtatuimus.
Ut verbum nudum ſit ſine nomine,
Nomen ſine verbo, otioſum: faicatiſque ſimul
Senſum plenum, & orationem ſplendidam:
Vivatiſque concordiâ, diſcordiâ moriamini.

PO. Etſi mihi damni plurimum illatum immerito puto,
Vobis certum eſt parêre. AM. Nec mihi repugnare integrum eſt.

PRISCIA. Negotium hoc perplexius intus tranſigetur.

PLAUDITE.

FINIS.

Menda ſic emenda.

LEge Pag. 4. lin 14. *Verus.* Pag. 6. l. 2. *Procedit.* Pag. 13. l. ult. *Videare.* Pag. 16. l. 6. *Sim.* Pag. 17. l. 3. *Dabit.* P. 19. l. 15. *Exiſtimo.* P. 21. l. 6. *Compellare.* P. 22. l. 16. *Illene.* l. 17. *Capeſſat.* l. 20. *Ubi.* P. 33. 10. *Tu fac.* P. 24. 13. *Paululo.* P. 25. l. 17. *Perſuaſerit.* P. 27. l. 7. *Ingenii.* P. 28. l. 9. *Apud.* P. 29. l. 10. *Amone,* & ſic in reliquis. P. 30. l. ult. *Verum cum multa etiam.* P. 31. l. 3. *Debeo, Extinxero.* P. 33. 6. *Facias.* l. 10. *Edoce.* P. 35. l. 8. *Grammaticum.* l. 12. *Fugerint, Sapiet.* l. 22. *Interjectiones.* P. 40. l. 5. *Dele ſit.* P. 42. l. 1. *Ut ſit.* l. 6. *Semper.* P. 47. l. ult. *Annus.* P. 48. l. 15. *Illum.* P. 55. l. 10. *Demandam.* l. 12. *Incepeum.* P. 61. l. 14. *Quam vis.* P. 64. l. 6. *Preponitur.* l. 7. *Servet.* P. 66. l. ult. *Quid.* P. 68. l. 13. *Amiſerem.* P. 70. l. penult. *Pertinavent.* P. 37. l. 19. *Iudicum.* P. 79. l. 7. *Dum ferri ſuis.* l. 17. *Clangor aeris.*